



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De milite, qui ob meritum confessionis coram Henrico Imperatore in duello triumphavit, cap. 18

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

vicinum, illic ut lupi ululantes. Quid verbis immorer?  
 Rediti sunt, in ciuitatem reducti sunt, simulq; in ignem, nondum plenè extinctum, missi, & in cinerè reducti. APOLLONIVS: Iustè actum est cum istis. CÆSARIVS: Confessione pura pugnautes merentur victoriã, damnandique indulgentiam.

## CAPVT XVIII.

**T**Empore illo, quo Henricus Imperator, pater Frederici, qui nunc regnat, nouissimè intrauit Longobardiam, accusatus est apud eum ab eisdem Longobardis castellanus quidã de rapinis, aliisque insolentiis multis, à quibus etiam adductus est pugil quidam fortissimus, giganteæ altitudinis, qui eum monomachia impeteret. Nolens eis Imperator negare iustitiam, militem adesse præcepit. Què cum gigas ille ad duellum secundùm ius ciuile citaret, frater eiusdem militis ad pedes Imperatoris se prostrauit, & ut sibi pro germano tenerrimè dilecto pugnare licerèt, multis lacrymis obtinuit: qui cū se preparasset diligentissimè per cōtritionè, confessionè, & orationè, omnè suam spem in Christo posuit, cuius signaculum tam in veste quam in clypeo atq; manu pugnaturus pro munimèto circumtulit: erat enim vir gracilis, nec multùm fortis, cui cū occurrisset pugil aspectu horribilis, alterum se exhibens Goliath, ictum tam validè in clypeo eius dedit, ut tonitruum putaret: miles verò ictum ictui continuans, antequã manum retraheret, cum tãto nisu illam percussit, ut baculum lapsum lenare non posset: deinde crebris ictibus mactans pugilem, per confessionis virtutem vicit insuperabilem: qui, sicut mihi retulit Henricus monachus noster, qui præsens fuit, sicut bos mugiens in hæc verba prorupit: Væ mihi misero, quomodo tam turpiter confusus sum ab hoc homunculo? sicque per fratris humilem confessionem homo morte dignus euasit mortem, adèptus est victoriã. Quòd autem damnandis confessio tribuat veniam, præstò est exemplū.

## CAPVT